NOVISSIMA TVBA.

Libellus, *in sex Dialogos apprimè* CHRISTIANOS, digestus.

Surgite mortui, & venite ad judicium.

LONDINI, Excudebat *F. K.* & veneunt apud *Robertum Bostock*, ad signum Capitis Regii in Cœmeterio D. Pauli. 1633.

INTEGERRIMO
VIRO, FAMILIÆ
CLARITATE, FAMÆ
Suavitate, Voti Sanctitate,
Vitæ Sinceritate, verè
conſpicuo;

G. V.
Armigero, Mecænati Sacra-
rum Literarum am-
pliſſimo;

MVSOPHILVS,
HOC OPVSCVLVM
IN PERPETVAM
OBSERVANTIÆ
ſuæ Memoriam, hu-
millimè ſacra-
vit.

Colloquium
Mortis, Carnis & Animæ.

COLL. I.

Mors.

Perite ostium.

Caro. Quis tam audaci & imperioso more pulsat?

Mors. Qui non recedet, donec intravit.

Caro. Per rimulam portæ introspiciam, an nostro dignus sis hospitio; sin minùs, diù pulses priúsquam intres.

Mors. Age! quid sentis? num me recipies?

Caro. O monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum? nequaquam ingredieris; abi in rem malam: Si ad *mortem* usque

pulsares, minimè intrares.

Mors. Ingrediar certè.

Caro. Vel invitâ herâ meâ?

Mors. Vel invitâ herâ, delicatulâ ancillâ, totâ familiâ.

Caro. Quò nostras lares repetis? Quisnam te invitavit? In hac domicula nostra comptiores habemus comites, lautiores famulos, lætiores socios, splendidiores hospites. Aulicus certè es, tam fricatâ fronte te geris.

Mors. Aula æquè ac caula partem in me vendicant, & ego in eis.

Caro. Dic amabò, quinam es?

Mors. Et soror, & frater tuus.

Caro. Apage! Hermaphroditus es.

Mors. Vtriusque reverà sexus capax sum.

Caro. Capacem te nimis vereor. Me tamen mea fallit opinio, si maris aut feminæ designes speciem; dicerem te veriùs Spectrum.

Mors. Spectrum verè, Speculum tamen conditionis tuæ.

Caro. Quinam parentes erant tui?

Mors.

Mors. Ipſi, qui tui.

Caro. Parenti ſanè oculos iſtæ manus diutiùs eruiſſent; ſi prolem tibi ſimilem unquam protuliſſent.

Mors. Protulerunt tamen; mors enim à morſu; malum à mali guſtu.

Caro. Vnde igitur proveniſti?

Mors. Ab eo peccato, quod tu peperiſti.

Caro. Tunc cognati ſumus.

Mors. Vnius gentis, generis, germinis.

Caro. Parva tamen vel morum vel membrorum ſimilitudo.

Mors. Verè fateor; aptiore tamen membrorum diſpoſitione, æquiore elementorum commixtione, pulchriore corporis proportione, aut ſtrenuiore illius compoſitione, nec tu, nec quicunque vivit, mihi ſuperſtiti præcellere poterint.

Caro. Vnde hoc colligam?

Mors. Quia Natura ipſa me elegerit in Anatomem: Noſti autem omnes medicinalem artem profitentes, eum in Anatomem ſemper elegiſſe, qui præſtantiſſi-

mo erat corpore.

Caro. Hoc de iis verissimum est, qui censendi sunt laqueo. Tune inter eos numereris? Quo crimine detentus, detectus imò, pœnas luis?

Mors. Lepida es Ancilla, venusta facie & faceta; tuæ tamen & socius & procus ero.

Caro. Ha, ha. Tale societatis jugum nunquam inire cupio, quæ me mihi exosam reddet; Talemque ascendere thalamum horreo, qui mihi Spectrum in Sponsum offeret. Spreto potiùs conjugali thoro, accepto virginali voto (acquiescens adagio) *Simias*, libentissimè, *ducam in inferno.*

Mors. Amplectar interim.

Caro. Tolle manum, vel ad Manes te mittam.

Mors. Parce Soror; intacta te tangam & tollam. Erras si volites, non me evades; Ne moreris, dicente *Morte*, morieris. Immota maneo, dum tu premeris; illæsa resurgo, dum tu perimeris. Quæ te perdit, non moribus, non Sapientiæ, non ætati denique parcit. Fortasse dices, & verum dicis,

cis, Nihil terribilius *morte*, nihil crudelius. Nimirum, quæ ad aſpiciendos homines cæca, ad audiendas preces ſurda, ad omnes mortales, citra ullius exceptionem, perimendos, immiſericors & atrox: neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam.

Caro. O me miſeram! num delicatula iſta membra ſuaviſſimis floribus demulcta, optimis odoribus perfuſa, à re tam tetra & deformi, arida & exucca, horrida & exhauſta ſunt amplectenda?

Mors. Ne dedigneris; Heröinas æquè tibi pulchras propter corporum venuſtates, æquè claras propter honorum dignitates, æquè charas propter morum ſuavitates, inter hos nudos nervos, rigidos amplexus ſæpiſſimè tenui.

Caro. Sequere eas, modò me mittes. Num iſti enim digiti chordis & fidibus dediti, cæruleis venis diſtincti, gelidos lacertos tuos tangent? Num iſti capilli floribus ornati, vittis purpureis nitidè vincti, optimis odoribus unc-

uncti, radiis æſtivi ſolis comparandi, ſub aquilinis tuis unguibus decident? Num iſta procera tempora, primis primi veris floſculis amicta, ſub rigida tua manu defluent? Num iſta nivea brachia, amatoriis amplexibus parata, intra glaciales ulnas tuas deficient? Num iſti agiles docileſque pedes, choreis ac ſaltandi artibus aſſueti, in foveam tenebris cæcam deſcendent? denique, num iſtud elegantulum corpus, tanta admiratione ſpectatum, tanta dilectione complexum, in vili urna, exili teſta computreſcet?

Mors. Parce linguæ; iſta me parùm movent. Non leniores digiti, gemmatis licet annulis decorati, niteſcant; Non tenuiores capilli, lanæ licet inſtar caprinæ, candeſcant; Non tempora, primis licet floribus, pretioſis odoribus tincta, liqueſcant; Non brachia tua, candidiora licet hederâ albâ, ſplendeſcant; Non pedes, petulanti licet more, publicis choreis aſſueſcant; Deniq;, nec corpus, nec ulla pars externæ illius corticis me allicere poterint. Iſtæ ele-

elegantiæ nihil me movent. Pro ea enim me cadaver hominis ſolis oſſibus conſtans, nerviſque duntaxat compactum delineant, auribus, oculis, & naribus carens; nudum & aſpectu deforme; nullius ſexus, falcem acutiſſimam manu vibrans. O artificium inſigne pictorum, deforme quidem, ſed myſteriis gravidum! Viſne autem iſta habere enucleata? Iſtud gratia tua accuratiſſimè faciam, parùm licet ſpectem exteriorem tuam gratiam. En hæc ſunt myſteria! Pingor ſine oculis, ut ſignificetur me nullius omninò perſonæ, cujuſcunque illa potentiæ aut opulentiæ ſit, reſpectum habere. Pingor ſine auribus; quia ad furoris mei mitigationem nullas ſoleo preces ac ſupplicationes admittere. Pingor ſine naribus; quia meum non eſt, O vana mulier, O laſcive juvenis, ſuavia tua odoramenta curare. Pingor nuda; ut demonſtretur me non terrenam ſubſtantiam, non divitias, non munera multum ſpectare. Pingor ſine pelle, ſine carne, ſine ſanguine; quia, ô pulchræ & ſpecioſæ

cioſæ fœminæ, nec veſtræ venuſtatis decor, veſtræ nec vanitatis & oſtentationis fulgor, me poterint allicere. Pingor ſine ſexu: Quia ſtatutum eſt mihi, nullum, ſive maſculini ſive fœminini ſexus fuerit, reſpicere. Pingor denique, cum falce acutiſſima: ut declaretur, me homines ex hac terra, ſicut meſſor frumentum in agris, & gramina in hortis, demetere; unde vates elegantèr cecinit:

Sicut ante falcem ſeges,
Ante mortem ſummi reges.

Caro. Itane inexorabilis es, ut nemini parces?

Mors. Nemini prorſus.

Caro. Hoc valdè iniquum mihi videtur. An juvenem primas adoleſcentiæ metas ingredientem, æque ut ſenem moribus protervum, morbis confectum, viribus exhauſtum abripies?

Mors. Iuvenem æquè ut ſenem.

Caro. Quid hinc prodeſt juvenilis ætas, quando iſta & ſenectus curva unum repetunt fatum?

Mors. Si conditionem ſpectes, ambo

ambo mortales: Sin probabilitas egreſſus, ſicut juvenes citò poſſent mori, ita ſenes diu nequeunt vitâ frui. Vbique ſenibus eſt in januis, invenibus inſidiis. Senibus aute oculos verſatur, juvenibus verò poſt tergum inſidiatur. Mors infantiæ eſt pueritia, mors pueritiæ eſt adoleſcentia, mors adoleſcentiæ eſt juventus, mors juventutis eſt virilitas, mors virilitatis eſt ſenectus, mors ſenectutis eſt decrepitas, mors decrepitatis eſt ipſa mors. Hinc expertum habeas, nullam eſſe latebram in quam non intret mors. *Socrates.* *Seneca.*

Caro. Eheu! cogitabam ſanè, & hinc me delyraſſe video, neminem juvenili ardore ſudantem, pulchrioribus adoleſcentiæ floribus pollentem, tam citò emigraturum eſſe, ſin potius cum morte indutias petiiſſe, & vivendi longius & beatius.

Mors. Brevis eſt fælicitas, quam comitatur fragilitas.

Caro. Brevis licet ſit, quis tamen eam non efflagitat?

Mors. Qui faſtidioſam vitâ agit.

Caro.

Caro. Et ille mori recusaret, si evitare poterit.

Mors. Nonne legisti, quod, [a] *optimum est aut non nasci, aut quam citò mori?* Quod, [b] *mortuus felicior est quam vivus?* Quod, [c] *morti nihil est tam simile quam somnus?* Quod, [d] *Mors est portus malorum, perfugium ærumnosæ vitæ, effugium miseriarum?* Quod, [e] *moriendum est omnibus, estque finis miseriæ in mortè?* Quod, [f] *Mors felicior & glorioſior est quàm vita?*

Caro. Ista me sæpius audisse fateor, sed tam longè fui a credendo, ut ne memini quidem.

Mors. Elapsa sunt forsitan e memoria tua.

Caro. E memoria facilè dimittimus, quæ vix credimus.

Mors. Dic reverà, nonne credis te semel morituram?

Caro. Credo; sed extremum eum diem mihi longiùs abesse spero.

Mors. Speramus quæ bona sunt, quæ mala exhorrescimus. Quid autem pejus quam perennem subire militiam? Semper viaticam

a *Menander.*
b *Ibid.*
c *Cato Major.*
d *Ciceron. in Tusc.*
e *Ibid.*
f *Æschilus.*

viaticam ſuſtinere vitam ?

Caro. Levis eſt via, quæ viatori grata.

Mors. Gratumne tibi cogitas, fami, & ſiti, & labore, quæ omnia vincula corruptionis ſunt, perpetuò premi ?

Caro. Aſſuetis nulla fit paſſio; indies iſtis aſſueſcimus, aſſueti vix ſentimus.

Mors. Nonne maximum tibi beneficium conferret, qui te hiſce vinculis expediret ?

Caro. Quam maximum, ſi crederem me eſſe vinctum.

Mors. Tace, obſecro, nonne iſta incommoda ſunt vincula?

Caro. Parce, obſecro, donec credam eſſe vincula. Non exeam, quæſo, donec credam.

Mors. Artem ſuboles vulpinam; Hoc non faciam, ne mecum agas, quemadmodum ille ſe geſſit, qui me ei appropinquantem, & læthale hoc telum quod in manu ſemper gero, vibrantem ſuſpiciens, hoc a me unicum optabat, priusquam ei mortiferum vulnus infligerem; nimirum, ut orationes plenè & integrè perſolvat,

solvat, quêis finitis, non solum mihi maximas gratias referret, sed placidè fato succumberet. Cui facilè ut assensissem, & sacro obstrinxissem voto, menullatenus ei manum meam illaturam esse, donec preces solennes integrè peregisset; elusum me reliquit, & ab eo tempore votum fecit, se nunquam ad mortem, ne subiret mortem, oraturum esse. Facillimum est non credere, quæ nolumus. Alio autem modo tecum agam, quò ab hac pessima, perniciosissima imò opinione citius amovearis. Arrige aurem, mitte carnis mollitiem, salutaria sunt quæ proferam; docilis est, qui attentè vult audire; ne indocilem igitur te præbeas, attentiorem te geres, & me perhumaniter tecum egisse audies.

Caro. Libentissimè audiam, modò te non videam.

Mors. Claude tunc oculos, modò aures aperias. Primum nunc a te quæram, quod pensum tibi imponis, quem laborem susci-pis, aut cui voluptati de die in diem maximè incumbis, ut suavi-

tate

tate fallacis & fugacis hujus vitæ tantoperè capereris.

Caro. Pensa mea sunt suavia,& naturæ meæ consentanea. Nec æstus diei,nec frigora noctis perfero. Colo manum, studio mentem nunquam applicui. Aliis voluptatibus meipsam servavi: Delitiis nimirum affluere, crapulæ indulgere; Publicis festis interesse; nectareis poculis immergi; pretiosis vestibus indui; ad solennes epulas & nuptias invitari; Theatra & alia spectacula visitare; circa lascivas choreas versari; per totam noctem juvenilibus consortiis frui; in floridis lectulis discumbere; in æstivis balneis vaporari; lautè epulari,lætè dormire; & in omnibus, quæ ad indulgentiam carnis spectant, cupiditatem explere.

Mors. Vt originem verò repetas,& a manè ad vesperam diei rationem reddas, cui negotio curam præcipuè impendis?

Caro. Negotium nunquam habui, nec habere opto; mea negotia sunt mundana solatia.

Mors. Quænam ista sunt,refer;

fer; neceſſe eſt quod mira ſint, quæ te tam mirificè afficiunt.

Caro. Maxima mihi incumbit cura circa *victum & veſtitum*; jentaculum in lecto mihi opiparè paratur; nec aliquid ei deeſt quod palato meo magis arrideat. Peracto hoc proæmio, quò in re nulla deſideriis meis deeſſem, ſicut oſtium ſuper cardinem, in cubili me leniùs verto, ſuaviorem ſomnum ineo; nihil magis expetens, quam forenſes lites, domeſticas ſimultates, publicos tumultus effugere, curas curiæ evitare, in ſilentio vitam tranſire, otio vacare, me mihi pinguiorem, convivis blandiorem reddere.

Mors. Surrectura tandem es.

Caro. Maximè; nec cubile mundum, nec cubiculum facio Theatrum. Præfulgente nunc ſole (diffuſis prius radiis per omnes lares & latebras) pretioſam aliquam veſtem aſſumo variis intextam coloribus, pulcherrimis conſperſam floribus. Quæ, priuſquam induatur, varias plerunque in ſententias diſtrahor; Nunc enim ex animo eſt talem ſtolam gerere,

gerere, nam oculos ſpectantium magis attrahet; ſed ſtatim diſplicet, & aliam requiro; ea verò aut gravis eſt nimis, aut mori temporis inconcinna; confeſtim igitur rejicio, & aliam eligo. Sic totum manè in veſtibus eligendis contero.

Mors. Interim, veſtes magis conteris eligendo, quàm gerendo.

Caro. Selectâ tandem veſte, exeo; nec intra proprias lares diù me contineo. Quò maxima frequentia hominum confluit ſtatim propero. Nec novæ alicujus rei valde ſollicita ſum, illud *heræ* relinquo.

Mors. Verum dicis; illa *mentem*, tu *menſam* ſpectas: Et mens humana novitatis avida.

Caro. Non eò inquam, publicos conventus repeto. Allicientes quaſdam blanditias in me invenio, quas comprimere nequeo aut nolo. Et iſtæ in me ardentiùs ſcintillare ſolent, iiſque fomitem præbeo. Si florentem enim juvenem in confertiſſimo eo cœtu reperiam, non citiùs aſpexi quam illexi.

illexi. Relicto Tutore, meſequitur, quocunque cupiditas mea eum trahit. Si contracto me vultu videat, gemit; ſi læto, gaudet. Blandienti ſibi arridet, cum illuſore ludit; neſcit interim quia *Iſmael*, eſt, qui ſecum ludit.

Mors. Dum ludis igitur, illudis, imò lædis.

Caro. Reverà, quemcunque video, modò mihi pareat, vulnero; nec illæſa tamen redeo; tam facilis enim ſum naturæ, ut ab eo quem capio, capta recedo.

Mors. Ita plerumque evenit; qui vult eſſe prædo, fit præda. Narra verò, quò juvenilem hunc mæchum trahis.

Caro. Lepidè fatebor & liberè, mæchum ſemper mecum habeo. Si talem autem invenero, qui amplexibus meis verè dignus habeatur, ad cubiculum duco, tapetibus nitidè inſtructum, amatoriis delitiis plenum; aut ſi aliò *Cupido* trahat, indulgemus epulis, narramus amatorum fabulas, publica ſpectacula inviſimus; aut ſi in apricis campis, elegantiis *Floræ* ornatis, perambulare juvet, ibi

ibi manu in manum, brachio in brachium innexis, laſciva laſcivis mutuò retorquemus, aut in corticibus arborum nomina inſcribimus; Hiſce defatigati, ſub opaciore arbore, lætiore umbrâ ac redolentiore fronde gratiſſimâ diſcumbimus; vel in Baias ex propoſito paratas intramus, ubi leniora noſtra reficiuntur membra: — & ſic demulceo vitam.

Mors. Pulcherrima vitæ tuæ datur ratio. Sed narra, obſecro, an iſta omnia quæ retuliſti, aut meliorem aut ſapientiorem te effecerint.

Caro. Minima mea eſt cura, probitatis aut ſapientiæ quæſtus: Id populus curet ſcilicet, *carnem* parùm tetigit. Mollities eſt, quam quæro; in mundo requietorium habeo, — & omnis in hoc ſum.

Mors. Eam tamen vitam optimam ſapientes omnes ſemper tenebant, in qua omni die ſe meliores eſſe ſentiebant.

Caro. Et nonne perierunt iſti cum ſapientia ſua?

Mors. Emortui ſunt mundo, ſed vivunt in cælo.

Caro.

Caro. Eſto! vivant iſti in cælis, modò ego delitiis fruar in terris.

Mors. Sed refer amodò; dum tu tam lepidè vivis, quid agit *hera* tua, *anima*, inquam, nonne acerbius te objurgat?

Caro. Subiraſcitur ſanè, ſed blandiore vultu facillimè eam placare potero. Plerumque autem ſoleo in oratorio eam relinquere; ubi ſi diutius maneat, illecebroſa mea illius menti ſuggerere non deſino; quo minus voluptatis in ea excitatione ſuſcipiat, quæ mihi ſemper tam faſtidioſa fuit. Interim, enthea iſta Heroina mea, ſacro veluti furore rapta, acerbiùs me increpat, hiſce verbis utens: "O quàm proter-"vè te geris? quàm moleſta mihi "es? Quò iſta mihi ſuggeris ſa-"cra meditanti? Tuum eſt in om-"nibus mihi prębere obſequium, "non hiſce peſſimis nugis fati-"gare mentem. Non legiſti, quod "ſuperliminare cubiculi mei in-"ſcriptum feci? Lege, & collige "quid volo, quid cupio; DEVS "MEVS & OMNIA. Hæc enim

" enim fuit illius inſcriptio. Noli
" igitur me a propoſito retrahe-
" re. Novi cui ſervivi; imò, cui
" meipſam in ſponſam ſemper
" ſervavi. Nihil tam faſtidioſum
" erit quam peccatum, nihil tam
" delitioſum quàm oratorium.
" Obſtruantur igitur portæ, ut
" luceat domus; claudantur ocu-
" li, ne intret cupiditas. Hoc
modo ſæpiſſimè me tractaret, ſed
a cæpto nequaquam deſtiti. Semper alicujus novę & inauditæ illecebræ fomitem callidè ſuppeditarem? quæ mentem à ſacris non ſolùm abduceret, ſed amorem ejus ex integro mihi conciliaret. Et hoc tandem modo eam ſæpius compellarem.

"Rigidè nimis & aſperè tecum
" agis, ſereniſſima Hera mea;
" An pulchritudinem tuam nun-
" quam reſpicies? Tene tibi ſem-
" per inimiciſſimam geres? Parce
" tandem oculis tuis; tardius la-
" chrymis effluant. Parce geni-
" bus tuis; ne genua in cornua re-
" deant. Nimis diu clauſtralem
" egiſti vitam. Lætiores tibi eli-
" gam ſocios, modò cubiculum

" deseras & mundum intres. Tunc illa; " O quam lætè transeunt " horæ in aleis, quam lentè in " aris? Quam tacitè in Mundi " areis, quam tardè in Dei atriis? " Acquievit tamen, & illecebris " meis aurem placidè applicuit.

Mors. Tunc Ancilla Dominæ dominatur suæ.

Caro. Rectissimè; in re nulla mihi adversatur. Semper in Socium & consortem lepidissimum me tenet; intimè amplectitur; blandè deosculatur. Vnà currimus; unum curamus; ut cupiditates nempe nostras non extinguamus, sed expleamus; non coerceamus, sed distendamus.

Mors. Sic tu, O *Caro*, quæ data es eæ in adjutorium, fies eæ in ruinam & scandalum.

Caro. Magnoperè erras; in refrigerium potiùs & solatium.

Mors. Vris potius quam refrigeras.

Caro. Vale felicitèr, si ita cogites.

Mors. Nullatenus evades; Paucis te volo. Ne vocifereris; aërem verberas, si reluctèris.

Caro.

Caro. Clamabo verò, ſi vim mihi inferas.

Mors. Num criminaberis me ſtupri?

Caro. Rapinæ imò: accuſatricem invenies.

Mors. Si accuſaſſe ſufficiat, quis innocens eſſe poterit? Num rapina eſt vendicare meum?

Caro. Si duo iſta Pronomina, MEVM & TVVM ceſſarent, non eſſent tot diſcordiæ in mundo.

Mors. Quam ſobriè prædicas! Imò, quam diu tu vivis, O delicatula *Caro*, indies coörturæ ſunt ſimultates: Pellicula enim tua plures ſuſcitat lites in Repub. quam Heröina tua aut acie ingenii, aut virtute conſilii ſui unquam reſtinguere poterit. Sed nunc mei es, dehinc igitur curabo ut neminem allicias.

Caro. Proſtibulo potiùs me tradam quàm tali hoſpitio.

Mors. Facilè credo; ſed Summæniana iſta loca à te penitùs ſunt relinquenda. MORS intravit in Suburbia; illic tibi longius non eſt immorandum.

Caro. Quid mecum facies?

Mors. Amplectar.

Caro. Illepidi erunt iſti amplexus, qui à Proco tam deformi offeruntur: An *Carnem* amas?

Mors. Perditè.

Caro. Neceſſe eſt quod ames, nam parum habes.

Mors. Habere igitur cupio, cum tantoperè careo.

Caro. Nonne pars mei tibi ſufficiet?

Mors. Nullimodò; fauces noſtræ partibus non ſunt obſtruendæ: aut totum aut nihil habitura ſum.

Caro. Multi tamen, qui ardore juventutis, & vigore claruerunt corporis, ſe ſatis acquiſiviſſe putârunt, ſi unum unicè baſiolum roridis ac roſeis hiſce labiis imprimere poterint; Nil ulterius petierunt; Et tunc confectæ ætatis, exhauſti corporis, & ut mihi videris, penitùs exanguis, totum meum vendicas?

Mors. Nil tibi remittam; totum abripiam.

Caro. Quò me pertrahes?

Mors. Ad ſepulchrum.

Caro.

Caro. O piaculum! " Corpus " an pulchrum repetet Sepul- " chrum?

Mors. Repetet ſanè.

Caro. Et quinam mei erunt Comites?

Mors. Vermes.

Caro. Non unius ſaltem anni mihi ſpatium dabis?

Mors. Ne horulæ, impoſitum mihi eſt penſum quod illicò præſtitura ſum.

Caro. O me miſerum! *illicò?* Deſiſte ſaltem, donec Heram meam evocavero; Parùm enim de adventu tuo hucuſque audivit.

Mors. Credo certè; gratius enim mihi hoſpitium præberetis, ſi familiariùs cognoſceretis. Idcirco vobis ſum ingrata, quia ignota, imò ne cogitata. Evoca tamen; fidem tibi dabo, mecum non ibis priuſquam exeat.

Caro. Eheu, Hera mea! Num arctiori quam ſolito ſomno complexa es?

Anima. Erras, ſi ita ſentias; non memini me unquam dormiviſſe. Sed quid novi profers? Vnde eſt quod tam lachry-

moſo vultu, tam flebili aſpectu nos interpellas?

Caro. O quam maxima nobis indita eſt neceſſitas! Hoſpes eſt importunè pulſans, horridę proportionis, prodigioſi aſpectus, Creaturæ, ſi ita dicere liceat, undique deformis. Foris præſtolatur, & ſe ingreſſurum eſſe, me etiam & Heroina mea invitis, apertè comminatur.

Anima. Quinam eſt, qui tam procaciter ſe gerit? Nonne noſtrum eſt propriæ dominari familiæ? Quo jure ſe intraturum eſſe aſſerit? Sciſſitare & redi.

Caro. Indulge *carni*, obſecro, nec ſciſſitari audeo, nec ſpectare. Mille mundi me ad præſentiam ejus tam horribilem, trucem & exitialem, me nunquam pertrahent.

Anima. Quo nomine res iſta tam formidoloſa appellatur?

Caro. Monſtrum tuipſa interroga; alloqui enim horreo? Tanta autem, libertate dicendi uſa eſt, ut non erubeſceret me amaſiam ſuam vocare, & lethales manus mihi inferre. Promiſit tamen,

men, & in hoc unicè humaniter se gessit, quod me nequaquam abripuerit, donec egredereris.

Anima. Quid interim tu es, si ego egrediar? Cadaver vermium satur. Sed obviam ibo, & si fieri potest, petulantiam ejus tempestivè comprimam. Quinam tu?

Mors. *Meta omnium rerum suprema.*

Caro. Ne appropinques, mi Hera; dimitte eam, si me ames; prece, pretio aut ferro superanda est; illicò dimitte, ni totam familiam nostram infestet.

Anima. Tene linguam; aggrediar & alloquar. Quicunque es, qui sub hac larvali specie lares nostras obsides, & intempestivè nimis quietem nostram perturbas, hoc scito, te nullum animæ meæ horrorem posse incutere. Si mille mortes arctiori obsidione hoc Palatium præcinctur essent, ne meticulum mihi inferrent. Contremescat licèt *caro*, delicatula enim ancilla est, & horridis hisce spectaculis insueta, anima mea tales excutiet timores; hosce me-

tus uti musces parvi faciet. Noli igitur moram agere, sed expeditiùs narra, quinam es?

Mors. Non in titulis stupeo; non in multis nec magnis nominibus gaudeo; Breve est nomen, sed grave omen: MORS appellor.

Anima. Benè vales.

Caro. Vtinam valediceret; Præsentia ejus mihi parùm arridet.

Secundus Philos.

Mors. Sin verò apertiùs me explicari velles, *Caduceator sum Superum, dissolutio corporum, inevitabilis eventus, latro hominis & resolutio omnium.* Huc missa sum, ut *tibi* libertatem, *carni*, ancillæ illæ mollissimæ tuæ, sepulturam adferam.

Caro. Quam sepulturam?

Mors. Lectulum terrenum; Pulvillum pulverulentum.

Caro. Non opus est mihi lectisternio tuo. Et molliorem & meliorem Torum habeo, quam tu mihi præpares.

Mors. Asperitatem tamen Tori mei nunquam senties.

Anima. Torum tuum tumulum

lum esse cogito.

Mors. Rem tetigisti, & paravi; sine me ancillam tibi eripere; Eò enim veni, eò mandatum accepi.

Anima. Nec tali renitendum est mandato.

Caro. Dimitte eam citiùs; num me deseres, mi Domina? In qua re offendi, ut me relinqueres? in omni negotio tibi morigera fui; & hanc compensationem accepero?

Anima. Inevitabili fato acquiescendum est. Non eò MORS mittitur ut dimittatur. Si ista rectè perpenderes, lucrum magis quàm incommodum tibi adferri diceres.

Caro. Quando hoc credam?

Anima. Quando rationi cedes.

Caro. Num rationi sensus subjicietur?

Anima. Æquissimè.

Caro. Quid igitur tu fecisti, cum persuasionibus meis tam diù aurem applicuisti tuam? Tota versata fui in sensibilibus; & me ancillam tuam placidè auscultasti. Hamum semper pendentem habui,

bui, & eum avidè cepisti. Cum minima illecebra te ab Oratorio ad Theatrum, à fano ad prophanum traxi. Et cò non *Ratio*, sed *Sensus*, te persuasum habuit. Quid igitur *rationem* mihi tanto perè objicis, à quâ tuipsa diutius aversaris?

Anima. Hinc est, quod te deseram, ni me destruam. Ingenuè à me fatendum est, *Nimis incola fuit anima mea.* Nec te doleat me emigrasse; Eò te terræ, matri tuæ, à qua primò venisti, commendo, ut pulchriorem multò ac splendidiorem te denuò recipiam.

Caro. An pulchritudinem majorem acceptura sum, in terras descendendo? Quis hoc credet, si mentis compos sit? Nonne vermes socii, Terra torum, Sepulchrum domicilium? Num ista me pulchriorem reddent?

Anima. Reddent verè. Nonne Somnus alacriorem ac vegetiorem te restituet?

Caro. Quid si?

Anima. Et mors Somnus est.

Caro. Sed longus nimis est.

Anima. Nequaquam. Quis indignè

dignè feret intra ulnas matris suę pauliſper obdormire?

Caro. Intra ulnas novercæ, quis non indignè feret?

Anima. Terra verò natalis eſt mater tua; eò redis, quò veniſti; eò tendis, quò proceſſiſti. Adhuc valdè fuiſti indigna hoſpitio meo; in te commorabar uti in diverſorio, ubi forſitan pernoctare libet, permanere non licet. Mori igitur ne timeas, cum tranſitus tibi erit ad vitam multò ditiorem, multò feliciorem.

Mors. Iſtæ *morti* non afferendę ſunt moræ. Hiſce prolixioribus querelis finem imponite; Quamplurima mihi incumbunt negotia. Impoſita mihi ſunt mandata, quæ omni obſequio præſtanda ſunt.

Anima. Et ſacris obſequemur juſſis libentiſſimè. Deſiſte ſaltem, obſecro, donec hanc Ancillam meam imperio tuo paratiorem feci. Mollis admodum eſt & tenera, rigidumque aſpectum tuum magnoperè horret: Secede igitur paululùm, quoad ſalubrioribus præceptis ac monitis meis eam nuncio triſtiori tuo obſequen-

quentiorem reddam, quo peracto, Sapientis illius *Gorgiæ*, in desiderio exitus mei, vestigia paratissimè sequar. Qui, quando interrogatus an libens moreretur, respondit, *Maximè, nam tanquam ex putri & defluenti domuncula, non invitus discedo.*

Mors. Perge, & perfice.

Anima. Appropinqua, mi *Caro*, & extremis hisce monitis Heræ tuæ docilem aurem præbe.

Caro. Audiam, assentiam, & recondam.

Anima. Vltima amicorum verba maximè penetrant; & suspiria eorum intentiorem figuram relinquunt. Nunc longum vale mutuò accepturæ sumus; Tu à me, ego à te latiori spatio sumus separandæ; Adi igitur & audi; Præpara te *morti*, priusquam *Mors* ingruat. Eas voluptates, quibus te adhuc dedisti, demersisti imò, relinque, relictas sperne. Residuum temporis quod tibi datur, Deo offeratur. Brevis est pugna, magna victoria. Et quantò gravius erat periculum in prælio, tantò majus erit gaudium in præmio.

præmio. Hoc enim ante omnia tibi animadvertendum eſt: "Si "amore mundi & carnis volup- "tate Dei amorem relinqueris, "derelinqueris à Deo, miſera, in "horâ tantæ neceſſitatis, atque "dæmonibus traderis in inferno crucianda. Nunc portum appu- liſti; ubi colligenda ſunt vaſa. Diem mortis, quem tanquam extremum formidas, æterni natalis eſt. Depone igitur onus. Siquid perditè in hoc mundo dilexiſti, ut plurima illicitè nimis amaſti, deſere, deſpice; Optatior via, opulentior vita à te petenda eſt. Cuncta fragilia, vilia. Nunc communem conditionis humanæ ſortem ſuſceptura es. Ne mireris, omnes qui te præceſſerunt, eandem viam calcârunt.

Sen.

Iter agis, exiturus veniſti, non manſurus. Aug.

Quàm commodè reſpondent? Sive vigilantes, ſive dormientes, ſive tacentes, ſive ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes, per momenta temporum quotidiè ad finem ducimur. Ne reſolvaris in lachrymas quod me deſerueris; ex integro, mutuo fruemur conſortio.

Lact. lib. 6. divin. inſtit.

Caro.

Caro. Quamplurimi mecum valent ista monita tua: Sed dissolvi horreo.

Anima. Quod ego maximè cupio; Noli te tantoperè demulcere. Quid palles, quid contremiscis? Pulchriorem accipies structuram quam adhuc habes. Mænia ista tua sunt diruenda ut restaurentur, in pulverem reducenda ut renoventur. Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolet ire. Præmittor ad eum videndum; veniet dies, quando associaberis mihi ad eum contemplandum. Interim in pulverem tuam reverteris, è qua multò clarior & splendidior resurges. Ad terram mitteris, ut terrestrem qualitatem amittas. Bono igitur esto animo: Sicut semina terræ mandata, moritura sunt priusquam vivant; peritura priusquam surgant; Sic tu terræ es tradenda, priusquam ad æternitatem coalescas in vita futura.

Caro. Optimè me monuisti & muniviſti; Iste *mortis* aspectus mihi minùs sit terribilis;

Jam

Iam ſatis, ô vita, duraſti, deſine tandem. *Menand.*

Vale, delectiſſima *Animula* mea, hac tamen ſpe fruor, me tandem tibi revivendam eſſe.

Anima. Hac ſpe fretâ, moriendo vives, vivendo me frueris.

Mors. Quam ægrè patiuntur iſtæ repudium? Non feciſtis loquendi finem? Vltimum vale ad invicem accipite; Tempus enim longius protrahere, aut ſententiam mortis reticere nequeo.

Anima. O Mors, ne, quæſo, patiar repulſam, quo minus ad te veniam! veni, & nuncium comple. Hoc firmiori propoſito ritè adhibito, uno contexam omnia. "Non ita vixi in mundo, licet ei nimis attenta fui (quod nunc doleo, & inde deleo) ut me pudeat vivere: nec mori timeo, quia bonum dominum habemus. Sic egredi, eſt regnum cœlorum ingredi; Sic vitâ fungi, eſt pace frui; cui meipſam, terræ ancillam, felicitèr commendo. *Æſchyl.*

Mors. Valete.

COLL.

Coll. 2.

Colloquium

Mundi, Carnis & Diaboli.

Diab.

VBinam consortes, milites, famuli & filii mei? Nullane spes nobis relicta est revocandi *animam* ab hoc pio proposito, quod sibi fecit? Siccine gloria mea deficiet? Maxima semper incessit mihi cupiditas non solùm imperium conservandi, sed augendi etiam. Sed quamdiu dominabitur carni anima, animæ ratio, rationi gratia, defluit potestas mea. Satagite athletæ mei! Num graviore quam solito somno complexi estis? Surgite, somnum discutite, circuite; hæc æstas mea est, quam si vestrâ incertiâ inutiliter transeatis, actum est

eſt de me & imperio meo. O *caro*, delicatula famula mea, & præ cęteris mihi fidelis, ſemper in adjutorio tuo magnoperè confiſus ſum, quoniam magis nocet domeſticus hoſtis! Interim quid agis? Quo tempus conteris? Num me deſeres in extremis?

Caro. Eheu, quid faciam? Emaceravit me Hera mea; & jejunio flagra adjecit. Pellis & oſſa ſum miſera; nec laſciviendi mihi cupiditas eſt ulla. Si perambulare juvet; ſtatim me revocat, & intra proprias lares cöercet. Si epulari libet; aſperrimam diſciplinam mihi imponit. Quicquid mihi moleſtum eſt, præcipit; Quod magis gratum, prohibet. Tibi placere, & eæ ſervire, nequeo.

Diab. Veriſſimè. Sed unde eſt, quod tantoperè tibi dominaretur? Num omnes impugnandi vires amiſiſti? Novi te valdè facetam & artificio benevolentiæ colligendę deditiſſimam. Vbinam ſpicula ea ignita tua, quibus *animam* vulnerare aſſueviſti? Vbinam, inquam, carnales illę cogitationes mentem importunè pulſantes

tes

tes de cibo & potu, de somno, cęterisque similibus ad carnis curam pertinentibus? An ignoras mortem intrare per fenestras? ubi tunc radiantia ea lumina tua, quæ capere æquè ac capi solent? Nullane forma est, quæ aspectu tuo digna habeatur? An eruisti ocellum concupiscentiæ tuæ? An virtutis amore, quæ mihi semper invisa fuit, voluptates hujus vitæ sprevisti?

Caro. Parcimoniam & asperitatem vitæ rigidissimam mihi injunxit.

Diab. Quid inde?

Caro. Et parca vita occidit vitia, libidinem extinguit, virtutes nutrit, animam roborat, & mentem ad cœlestia elevat: Vnde fit, quò ego debilior, illa agilior; quò illa fortior, ego infirmior.

Diab. Duram servis servitutem. Excute jugum, liberâ utendum est reprehensione erga aminam. Si eam tantoperè sanctam esse patiaris, teipsam perimis, & me perdis. Primis igitur reluctandum est initiis ἡδονῆ δελεας τῶν κακιῶν: Omnium malorum esca voluptas.

voluptas. Hanc Heroinæ menti ſuggeres; hac eam allicies: quo peracto, victor evades.

Caro. At hi lacerti jam mortui ſunt! voluptates nec ſpecto, nec ſuggerere valeo. Acies ingenii defecerit; natalis cupiditas exaruerit; Non video, quod illicitè concupiſco. Paſci mallem, quàm cupiditates explere.

Diab. Tunc revertere in pulverem tuam. Obſequio meo penitus indigna es. Siſte tamen; alius a me evocandus eſt, qui majori ſtudio, altiori curâ negotiis incumbet meis. Appropinqua amiciſſime *Munde*, muſcipula mea, à qua incautæ capiuntur animæ, dum ſaluti ſuæ minùs proſpiciunt. *Munde*, inquam, qui periculoſior es blandus quàm moleſtus, & magis cavendus, cum te illicis diligi, quàm cum admones cogiſque contemni. Vnde evenit, qui te amplectuntur ſimiles ſunt illis, qui ſubmerguntur in aquis.

Mundus. Adſum, in omnibus obſequii tui ſtudioſiſſimus. Patiens ero laboris; ſitim, frigus, omnia

nia passurus, quò aliquod officium tibi præstem.

Diab. Audisne clientulum hunc meum observantissimum, quâ curâ, quo studio imperii mei fines augere quærit?

Caro. Audio,& irrideo.

Diab. Teterrima pellicula, quid te ad cachinnum movet?

Caro. Summa ejus dementia.

Diab. Te potius stolidissimam *Mundus* censeat, cujus asperitas te exhausit, & voluptatibus mortuam reliquit.

Caro. Quæ potius eos tangit vesania vitiorum, sitire absynthium hujus *Mundi*; sequi naufragium vitæ labentis; pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium?

Diab. Quis te talem concionatorem fecit?

Caro. Illa, cui servio, & quæ me regit.

Diab. Miserum est eæ servire, ubi asperitas vitæ habetur pro præmio.

Caro. Stultum autem est *Diabolo* servire offenso, qui nullo placatur obsequio.

Diab.

Diab. Procacitatem hanc tuam graviter puniam.

Caro. Parùm me terres; Non æquum eſt mihi timere *Diabolum*, qui *Dominum* habeo fortiorem. Novi certè nihil tibi dulcius eſſe, quàm me peccare, peccantem perdere: ſed ſervilibus iis officiis tuis, quibus nimis diu detenta fui, nunc tandem renunciare inſtitui. Tot dæmonia, quot crimina: Ni illa igitur intrent, iſta a me opportunè repellenda ſunt. Vnam amiſiſti ſervulam, & gratias Superis quod amiſiſti. *Caro* bene obediens, famula eſt animę: illa regit, hæc regitur: illa imperat, hæc famulatur.

Mundus. Intoleranda eſt iſta inſolentia tua; admodum faſtidioſa es auribus meis.

Caro. Quis hoc curat?

Mundus. Iſta tibi cura præcipuè incumberet: Cede majori.

Caro. Majorem te certè agnoſcam, non meliorem, quamdiu Diabolo præſtas obſequium.

Mundus. Quid tu eſſes ſine me?

Caro. Imò, quid tu ſine me?

Mundus

Mundus. Semper essem *Mundus*.

Caro. Non; Eremus. Quid esset Mundus sine homine? Quis homo sine *carne?*

Diab. Lepidè argumentaris; *Mundus* verò circuncingit, & obsidet te undique.

Caro. Sin verò Caro non esset, nec me circuncingere nec obsidere poterit.

Diab. Desiste tandem; non ulterius patiar: aut tace, aut acquiesce. Sin mihi semper refrageris, illicò perimam

Caro. Ne capillum tanges, ni permittat qui fecit. Auditura sum interim, quod consilium daturus es *Mundo*,

Diab. Audias, modò non detegas.

Caro. Detegam certè, ne alii pereant dum minùs audiunt.

Diab. Perge perfida; si tu me deseras, alios habeo, eosque cognatos tuos, ac tibi perquam familiares, qui mihi constantiùs adhæsuri sunt.

Caro. O si sese castigarent, tunc te citiùs relinquerent, & Dominis suis

ſuis ſeipſas fideliores præberent?

Diab. Arrige aurem, ni *Munde*, & conſilio meo mentem attentiùs incumbe.

Mund. Effare, attentiſſime audio.

Diab. Munde, Athleta fortiſſime; qui, an mandatis meis paratior, an artibus tuis peritior, planè neſcio. Interea, quid te dicerem, niſi Agonem plenum certaminum? ubi omnes certant, ſed perpauci victores redeunt. Circenſes habes ludos, eoſque artificiosè paratos; in quibus curſores ſunt, omnes omnis farraginis homunciones. *Avari*, quibus tam deeſt quod habent, quam quod non habent; per fas nefaſve certant, currunt, ſudant, quo divitias colligant; in quibus utendis non minùs inopes ſunt, quàm ſi non poſſiderent. In hoc enim avidè habentes, & nihil habentes unicè differunt; quod hi *carendo*, illi *non fruendo* conditionem deſignant. Aut non habita concupiſcunt ut habeant, aut acquiſita metuunt ne amittant. Turpe lucrum potius quàm damnum eligunt;

eligunt; Lucri bonum odorem eſſe ex re qualibet ſentiunt, omnes complectuntur artes, ex quibus lucrum elicere poſſent; Cum aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, commoveri ſolent; Appetunt utilitatem, & ad eam rapiuntur; negligunt ſalutem, & de hoc ſocii mei lætantur. Cum Phrenetico rident; & cum ſtolido ridentes ad cippos currunt. Sibi enim laqueos parant, dum iſta petunt. Quis enim neſcit, *Achani* cuneum, & *Dagonis* domum iis attuliſſe excidium? Iſta tamen tanta verſutia occulere ſoleo, palliare imò, ut nec ſpeciem indumenti mei, nec periculum ſalutis ſuæ poſſent diſcernere. Quomodò autem vitent, ſi minùs videant? Cum moleſtia parantur, & cum ſollicitudine conſervantur, & cum invidia augentur, & cum dolore ſtimuliſque conſcientiæ finiuntur. Iſta tamen colunt, iiſque in cordibus fana condunt. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur. Ergo qui aurum ſupra Deum diligunt, illud deum ſuum faciunt. Currunt

runt etiam *ambitiosi* in hoc Circo tuo, mi *Munde*; Et hi in aucupio honoris semper versati sunt; somnum oculis, quietem animis nullam admittunt. Superbè ascendunt, periculosè sedent, & celeritèr decidunt; in quo elatiore ortu, & graviore casu me Principem eorum imitari solent. Denique, ut paucis multa complectar; Hic currunt in Aria tua omnes *voluptuosi*, qui pro brevi voluptate periclitantur de salute. *Irati* omnes, qui semper sæviunt & intumescunt; & officia perquam grata mihi præstant: Si filii enim Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubiò filii mei sunt qui ipsam confundunt. *Invidi* omnes, qui de alterius bono non minùs dolent, quàm de illius malo gaudent: quorum malitiosa conditio mihi maximè arridet. *Inertes* etiam omnes, qui in silentio vitam transeunt velut pecora; isti omnes currunt in Circo tuo, & multum commodi adferunt ærario nostro. Sicut enim optimum Dei lucrum est thesaurus animarum, ita maximum mei emolumen-

tum eſt earum diſpendium. Satage igitur, & penſum præſta: Meum eſt ſuggeſtiones noxias ingerere; tuum eſt urgere. Sin verò imperii mei fines promovere cupias, æquiſſimum tibi erit quod occaſiones boni priùs removeas. Plures, ut ſpero, invenies homines pudore magis quam bonâ voluntate prohibitis abſtinentes; Hunc autem pudorem vellem quod eorum mentibus excutias, ut neque ſenſum nec verecundiam mali retineant. Hoc ſi agas, ut facillimè præſtes, modò a cæptis non deſiſtas, nec a monitis meis declines; ibit iſta ſpecioſa Turba, poſt te cæca, & nuda, & illaqueata; eamque funibus peccatorum trahes poſt te in circuitu de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibit abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Ego interim, nihil intermittam, quo imperii mei fines latiùs diſtendam. Si te mihi fidelem ſervum præſtes, præmium non perdes. Ego, ut optimè noſti, eandem artem exercitaturus ſum, quam periti venatores deſignare ſolent.

Ad

Ad colorem montis aut nemoris ſeſe induunt, quò prædam quam cupiunt, faciliùs capiant. Eodem more moliendum eſt mihi: Nunc hîc, nunc illîc, nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem in me oſtendam, & ſingulis quibuſlibet qualitatibus, locis & temporibus ſecundum varias rerum mutationes, varias exhibiturus ſum tentationes. Nam ut triſtes decipiam, triſtabor & ipſe: Vt gaudentes illudam, fingam me & ipſe gaudere: Vt ſpirituales defraudem, in Angelum lucis me transfiguro: Vt fortes comprimam, appareo agnus: Vt mites devorem, appareo Lupus. Imò, apertè ſævire ſoleo cũ Leone, occultè inſidiari cum Dracone. Hoc modo, ſi vinctis viribus vitamur, non dubitandum eſt, quin felicem exitum aſſequemur. Nemo eſt, qui tam callidè ſe gerit, qui erroribus ſeſe non implicet, modò tuis blanditiis quæ lepidæ ſunt; aut inſidiis meis quæ variæ ſunt, acquieſcat. Magnum enim diſcrimen erit adverſus meę fraudis aſtutiam, tam crebros,

imò continuos, ſuſtinere conflictus, quem aſtutum fecit tam natura ſubtilis, quam longa exercitatio malitiæ latentis. Ex quo enim cecidi, non ceſſavi perſequi filios Dei: Et in odium ſuum, perdere hanc creaturam ſuam, quam creavit Omnipotentis manus, ad imaginem ſuam, ut poſſideat gloriam ſuam, quam ipſe perdidi per ſuperbiam meam.

Caro. O quàm nudè teipſum detegis? irritæ autem ſunt inſidiæ tuæ; inanes conatus tui; quamdiu me non habes, quam unicè habere cupis. Cui enim dominentur illecebræ tuæ, ſi conſilio meo innixus, tibi non obtemperet. Mollities mea eſt, quæ voluptuoſo lenocinia, avaro praviora lucra, ſuperbo elatiora vota, invido macreſcentia mala, irato ardentia ilia, crapuloſo laſcivientia edulia, ignavo inertia ſomnia ſuggerere ſolet. Quorſum igitur tantoperè te oſtentas? Sine conſilio, auxilio, judicio meo arenis ſemina mandas. Qui verè igitur ſapiunt (& in hoc contra me ipſam ingenuè loquar) indulgentiam

tiam mei comprimant, asperitatem erga me exerceant, quæ mihi maximè molesta sunt, amplectantur & diligant; quæ mihi placentia, aspernentur & rejiciant. Quod si præstent, non solum te faciliter vincent, sed peractâ victoriâ triumphalem coronam accipient.

Diabo. Improba, quò te nobis tam nefariam perduellem monstras?

Caro. Quia castigavit me, qui fecit me; quoties crapulæ, indulsi, tibi servivi, ea autem victa, & sancta abstinentia amplexa, didici ei parere cui debui, & te deserere cui prius adhæsi.

Diab. An me quoque deseres, mi *Munde?*

Mundus. Profectò deseram; quid enim *Mundus* proficiet, si *Caro* deficiat?

Diab. Vnà conferamus tela, ut ad clientelam nostram eam cogamus.

Caro. Cogi qui potest, nescit mori; Moriar, ut te perdam. Valedicam *Mundo*.

Mund. Si valedicas, langueo;

Ne me deseras, tecum ibo.

Diab. Ambo valete; infernum saltem mihi patet; quò revertar. Interim, qui peccant, nec peccasse dolent, conscientiam infernum invenient; nec mei deerunt ministri, qui eos flagellent.

COLL. 3.

Coll. 3.

Colloquium
Hominis & Conſcientiæ.

Homo.

QVid me tantoperè laceras? Num tu quæ habitas in me, teſtaberis contra me?

Conſcientia. Depoſitum quod ſervandum accepi, ſervo vivo, defuncto reſtituo.

Homo. Quid tu, ſi pereo?

Conſ. Tecum ibo; & unam pœnam patiemur mutuò. Non te deſeram, non relinquam. Si bene vivas, gaudeo; ſin malè, ingemiſco: nec mala mea reticere valeo. Pro te aut contra te teſtimonium profero. Mille acies me repellere nequeunt. Licet ſera, tamẽ ſeria & certa, venit vindicta.

Homo. Heu me miſerum, quid faciam? quò curram?

Conſ. Nullum mihi datur ſubterfugium. Si in viſcera terræ ſurreperes, tutiorem ibi receſſum non invenires. Si velocior eſſes Euro, non evaderes, — mihi pervius æther. Sequerer, perſequerer imò; nec a curſu deſiſterem, donec veſtigiò ſemitas tuas explorarem. Ne dicas igitur, "Nullus eſt in rima, nullus "qui me exaudiat. Quis me vi- "det? tenebræ circundant me, & "parietes cooperiunt me, & ne- "mo circunſpicit me: quem ve- "reor? delictorum meorum non "memorabitur Altiſſimus. Fugias licet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, me intùs aſtantem, teſtantem imò, reperies. Quam ſi læſis oculis præſentem videris, certè iis me compellaveris verbis, quibus *Achab* ad *Eliam* uſus eſt; "Num inveniſti me inimicum tibi? Et in promptu mihi erit reſponſio, Inveni: Eo quod venundatus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini. Ecce egò inducam

ducam super te malum.

Ho. Tunc flagitia nostra nul libi tuta.

Con. Quid si tuta possint esse scelera, si secura esse non possint? Vel, quid prodest nocentibus habuisse latendi facultatem, cum latendi fiduciam non habent?

Ho. Narra, quæso, quomodo in Testem consolabilé te habeam.

Con. Sanctam ac inculpatam ducendo vitam; bonis pollendo moribus; piis relucendo virtutibus; pravis moriendo cupiditatibus; alacriter exercendo opera charitatis; quod tuum est liberè dispensando; quod alterius est nunquam appetendo. Evitando vivit anima, quæ appetendo moritur.

Ho. Dura nimis & aspera sunt ista pensa carni & sanguini.

Con. Sed multò asperius erit pati *vermem conscientiæ*; aspectu Dei privari; quod longe superat omnia gehennæ supplicia; ibi, scilicet, distrahi, ibi discerpi, ubi nec qui torquent aliquando fatiquantur, nec qui torquetur aliquando moritur.

Ho. O mors amara, verè miſera! quomodo mors iſta ſit evitanda.

Con. Moriendo mundo, priuſquam egredieris de mundo.

Ho. Num iſta ſpecioſa fabrica tot affluentiis omnium rerum inſtructa, tot deliciarum plena, divitiarum alumna, tum parvi fuerit æſtimanda?

Con. Reverâ ſi in hiſce læteris, læthali morbo laboras. Quanto magis enim Caro in hoc ſeculo gaudet & ſuaviter vivit, tanto magis anima in inferno cruciabitur & ingemiſcet; & e contrà, quanto magis Caro premitur, tanto magis anima de ſpe cœleſti lætatur.

Ho. Præſentibus frui, omnium ſemper fuit deſiderium.

Con. Præſentibus frui, futuris exui, omnium miſerrimum. Optimum tibi erit uti mundo, frui Deo. Non poſitus es in mundo, ut ibi ſemper viveres. In terra aliena quis cantica ſua cantare poterit? In hoc mundo vivere debemus, ut cum corpus cæperit à vermibus devorari in ſepulchro, anima

anima lætetur cum Sanctis in cœlo. Illuc Spiritus dirigendus est, quò est iturus: illuc festinare debemus, ubi semper vivamus, & ubi amplius mori non timemus. Aurum desideras sine fine? æternam vitam desidera sine fine. In terra *Havilah*, multum est aurum. Terra est quam geris, & eam demittes; terra est quam teris, & eam amittes; sed terra est quam quæris, quam nunquam relinques. Dispensatores magis Dei, quam divites appellandi. Quicquid accepimus piè dispensetur, sanctè disponatur, liberè erogetur, ut cœlesti merce remuneremur. Parva sunt, & ea nostra non sunt quę exhibemus, magna sunt, & ea Sanctorum sunt quæ accipiemus. Homines cœlestes, sunt angeli terrestres. Nemo Deum possidet in futuro, qui hic non possidetur à Deo. Si princeps hujus mundi in te aliquid habeat, Princeps cœli in corde tuo non habitat. Ejice Spiritum Diaboli, & spiritum mundi, ut accipias Spiritum Dei. Cogita unde venisti, & erubesce; ubi es, & ingemisce,

miſce, quò iturus & contremiſce.

Ho. Novi omnes homines ex eadem argilla eſſe factos, & in eandem mātēriam, à qua primam originem acceperint, eſſe redituros.

Conſ. Tunc omnis *homo* ab *humo* primò dictus & ductus.

Ho. Nihil verius.

Conſ. Et caro ſpuma fragili veſtita decore.

Ho. Maximè.

Con. Cur carnem tuam pretioſis rebus impinguas, & adornas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro? Animam verò tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præſentanda eſt in cœlis. Non noſti pretium animæ tuæ?

Ho. Apprimè.

Con. Vereor certè; Non enim tantoperè eam vilipenderes. O *homo* cognoſce, cognoſce, inquam, majus eſſe damnum in amiſſione unius animæ quàm mille corporum. Corpora ſi occiderentur, denuò reſurgent; anima ſi periret, nunquam reviviſcet.

Erubeſce

Erubeſce igitur inertiam, imò ineptiam tuam; in præponendo medullæ corticem, nucleo nucem, animæ carnem. *Ingemiſce* etiam, dum te in hoſtili regione verſatum eſſe conſideras. Vbi domeſtici tui Proditores peſſimi; ubi Mors in olla, Hoſtis in ora. Huc & illuc igitur circumſpiciendum eſt, & ad omnem ſtrepitum circumagenda eſt cervix. *Contremiſce* etiam, cum tecum cogitas quò iturus es; in terram tenebroſam & aridam, ardens ſtagnum, ſulphureum lacum, ſupplicíorum locum, ubi omnis horror habitat, nullus ordo apparet, error & terror ubique implicant.

Ho. Nulluſne evadendi eſt locus?

Con. Nullus; ubi Deus non eſt per gratiam, adeſt per vindictam. Si enim non habeas in Patrem indulgentem, habebis certè in Iudicem ulciſcentem. Si ultionem divinam evitare quæras, juxta mandata Dei, quæ ſpecula Chriſtianç vitæ ſunt, ambulare debes. Summa Chriſtianæ religionis eſt imitari eum, quem colis. Verus Chriſti

Chriſti amator, qui etiam Chriſti imitator. Verè Chriſtiani titulum promeruit, qui in factis ſe Chriſtianum oſtendit. Non ſatis eſt gemmare & germinare, ſed in bonis operibus ematurescere & fructificare. Malè vivitur, ubi de Deo non benè creditur, ſed viciſſim inutiliter creditur, ubi non benè vivitur. Vera fides [redacted] eſt interius. Si vita ſit in arbore, proferentur fructus; ſi vera fides ſit in corde, emittentur virtutes. Vnde mors in anima? quia non eſt fides? Vnde mors in corpore? quia non eſt anima. Ergo animæ tuæ anima eſt fides; fidei anima exhibitio operis.

Ho. O quam alienus fui ab harum rerum indagatione?

Con. Interea, quid fuiſti? Non *homo* certè, ſed *beſtia*. Abſque notitia enim Dei, omnis homo pecus.

Ho. Non inficior. Sed quomodò veniam ad cognitionem mei?

Con. Verbo Dei, ibi via eſt per quam ambules? ibi lux per quam viam videas; ibi vita quam deſideras.

Ho.

Ho. Quamdiu autè te habeo inviſam, omnia ſpiritualia exercitia mihi gravia ſunt & oneroſa. Nihil propitium votiſq; ſecundum invenio; omnia mihi nubila & triſtia; faſtidioſa omnia & inſipida. Magnoperè igitur cupio te primùm mihi conciliare; ut lætè magis ac proſperè negotia mea ſuccedant.

Con. Viſne amabò, me tibi verè placatam habere? Ne me offendas; Quicquid contra me facies, ędificat ad gehennam. Si igitur aut timor pœnę, aut ſpes præmii te moveant; ſi tranquillitas animę, pax *conſcientiæ* tuę tecum valeant; noli me irritare; noli te laqueis peccatorum irretire. Natura mea optimè Mari aſſimilari poteſt. Noſti, ſi mare ollas ſordes, defuncta corpora, aut quamcunque algam habeat, temulento more ſævit & æſtuat, conquieſcere nequit, donec ſordes & fæces eas, à quibus ægrè laborabat, in ripam expuet, quod furorem ejus tempeſtivè expiat. Eo more, Ego ipſa, *conſcientia* tua, tumere ſolco & turgere, ſurgere & ſævire, donec

nec fæces peccati penitùs expuli. Nihil enim est quod me tantoperè gravat ut peccatum; cujus onere dum deprimor, nulla prorsus pace, nulla quiete fruor. Visne igitur semper lętari? Vulnera animæ, quæ peccata sunt, tempestivè sanare tuum est. Quantò magis *homo* peccata sua intelligit, tantò amplius suspirat & gemit. Lachrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum. Hisce lachrymis cor tuum irrigetur, ut ad cœlestia erigatur. Vis nunquam tristis esse? Benè vive, bona *conscientia* semper gaudium habet.

Ho. Omnia ista novi, sed in usum non redegi.

Con. Inutilis ea est *scientia*, à qua non refocillatur *Conscientia*. Multum ubiq; *scientiæ*; *conscientiæ* parùm. Quid verò prodest magna *scientia*, si adsit immunda *conscientia*? Non ex *scientiæ*, sed *conscientiæ* libro, judicaberis aliquando coram Dei throno. Qualis vis esse in die judicii, talis appareas in conspectu Dei. Grande volumen *conscientia*, cui omnia stylo veritatis inscripta. In die judicii

judicii non quæretur quid legiſti, ſed quid feciſti; non quid dixiſti, ſed quàm bene vixiſti.

Ho. Heu me, quid dicam, quid faciam? Erubeſcenda video, nec erubeſco; dolenda intueor, nec doleo.

Con. Inde eſt, quod me triſtiorem reddis. Dolor eſt unicè tuus qui me lætificat. Quò enim te magis inſenſibilem ſentio, eò magis doleo & ingemiſco. Lachrymæ tuæ medelam adferunt meæ triſtitiæ. Quas ſi interiùs emiſeris, peccatis veniam, animæ vitam, *conſcientiæ* pacem adferes. Præterita enim mala non nocent, niſi placent. Sin te in hoc ſeculo peccati non pudeat, non puduiſſe in futuro dolebit.

Ho. Scire verùm cupio, quorſum me tantoperè diſcrucias? Si enim de ſomno meo, ſtimulante te, non ſuſcitarer; placidè ſemper obdormirem: Te placatâ, nemo me laceſſeret, nemo hiſce tumultibus pacem meam infeſtaret.

Con. Hoc inter maxima, quæ fidei tuæ ſunt tradita, credendum eſt.

eſt. Ille qui fecit te, fecit me inſocium propter te, ad conſolandum aut cruciandum te. Somnus peccatoris nunquam poteſt eſſe ſuavis. Ea ſomnia mala habent omina, quæ Deum non ſpectant qui creavit omnia. Ne credas te eſſe tutum, etſi viſibilem contra te non invenias teſtem. Quando corpus ſine umbra, tunc ſcilicet invenienda eſt anima ſine teſtante *conſcientia*. Sed quò me incuſas anxietatis tuæ? Ecce Spectrum, quod te & me tot perturbationibus exagitat!

Intrat Peccatum.

Ho. Vbinam?

Con. Secede paululùm, ſub opacioribus iis arbuſculis; Noſti enim primùm, O *Homo*, argutè teipſum abſcondere in umbraculis, cum nuditatem tuam conſpexeras; quâ conſpectâ, faciem Dei perperàm effugeres.

Exit Homo

Ho. Meminiſſe dolet; ſed teneo & taceo. Aggredere, dum nemuſculum iſtud ingreſſurus ſum.

COLL. 4.

Colloquium Conscientiæ & Peccati.

Con.

PErquam opportunè mihi occurris.

Pec. Occurram semper, vel te invitâ.

Con. Credo certè, aut nunquam occurreres: in lares meas intrare soles, sicut aquæ in navem, umbræ ad convivium, quæ minùs invitatæ hospites sequuntur.

Pec. Quinam tamen est, qui me indignum hospitio suo judicat?

Con. Hînc te Syrenem narras; Navigantes enim in hoc mundo, pessimis incantationibus effascinare non desinis.

Pec. Obstruant aures, quò minùs audiant.

Con. O quam felices essent si hoc efficerent! Sed hamum semper

per pendentem habes, quo incautos decipias. Iis enim, qui superbâ & elatâ sunt mente, alta & ardua suggeris; eos suadendo contemptum inferioribus præbere; in publicis festis primas sedes eligere; Pauperum consortiis, sese nunquam immiscere; quando multò utilius ac salubrius iis esset, sic cum inferioribus vivere, quemadmodum Superiores secum vivere vellent. Similiter, si avaros inveneris; inextinguibilem sitim habendi, sine spe fruendi, mentibus eorum immittis. Hi, quantum magis capiunt, tantum magis cupiunt; Die fatigantur laboribus, nocte intempestivis curis. Et quod omnium miserrimum est, quantò minus indigent, tantò plus appetunt. Omne enim peccatum, præcipuè illud avaritiæ senile malum, incurabilius est in sene quàm in juvene. Quando senes, quanto sunt morti viciniores, tanto debent esse puriores. Similiter, si voluptuosis occurras; illecebras iis paratas habes. Floridos & eburneos lectulos, in quibus discumbant; flores & odores, quibus

quibus laſcivientia eorum corpora demulceant; Iocos & Ludos, quib⁹ horas tardiùs properantes, otioſè tranſeunt; Pulchriores conſortes, & lenociniis deditas, quibuſcum petulantiùs ſe gerant. Denique, ut uno complectar omnia, novis delyriis ſemper mentes hominum agitas, eoſque aut non videntes, aut apertis oculis cadentes, in foveas quas iis feceris, præcipites mittis.

Pec. Vnde mihi hujus proditionis notam inuris?

Con. Quia ab homine peſſimè promereris; à me verò præcipuè, quàm indies torques & diſcrucias; ita ut pœnæ illæ, quas poetæ finxerunt quibuſdam fuiſſe inflictas, propter vitæ impudicitiam, crudelitatem, & belluinam prorſus licentiam, ſi anguſtiis in quas ego indies redigor, ærumnis in quas ego diſtrahor, conferrentur, morſus eſſent muſcæ non pœnæ, tam gravia ſunt quæ tolero, nec remedium invenio dum te video.

Pec. Queruli reverâ ſemper ſunt miſeri; ſed multi ſunt qui miſeriores ſe faciunt, quàm verè ſunt.

Sed

Sed jamjam audiebam te aſſe-
rentem, me ab homine peſſimè
emeritum eſſe; Narra, obſecro,
quinam mihi primam originem
dedit? Totum genus humanum
fecit *Adamus* damnationis tra-
ducem: *Omnes in* Adam *pecca-
verunt*. Ego meiipſius artifex non
fui. Fecit me, qui, ut primùm ſen-
ſerit te, ad arbores receſſit ut præ-
ſentiam Dei effugiat, & à con-
ſpectu Dei ſibi umbraculum com-
periat, Ad arborem convolat, de
cujus fructu ſi nunquam deguſtaſ-
ſet, nunquam malum perpetraſ-
ſet, nunquam me creaſſet; Quò
igitur me arguis? HOMO eſt, qui
ſibi foveam fecit. Superbivit &
in ſeipſo concupivit ſimilem eſſe
Deo, ſed illinc ſimilem ſe fecit
Diabolo. Hinc lachrymæ tuæ!
Hinc origo humanæ miſeriæ!

Con. Diffiteri nequeo; ſed
magnoperè miror, quod inter
agendum nunquam fatigaris.

Pec. Nunquam fatigat, quod
delectat. Boni enim evitatio, ma-
li dilectio, & voluntatis meæ de-
pravatio, illæ ſunt rotæ, à quibus
currus meus circumvehitur; Au-
riga

riga vanitas eſt, quæ velociori curſu equos, cupiditates nimirum, impellit. Hînc autem eſt, quod infatigabilis maneo, quia multiplici varietate delectationum affici ſoleo. Si ſuperbè aut faſtuosè prodire cupio, parantur veſtes nitidæ, noviſſimo more, quo ſpectante majorem admirationem incutiant, compoſitæ; Hiſce exeo, nec meipſam minus admirari ſoleo, quàm qui me ſpectant. Si crapulæ indulgere quæro, delitiis ſtatim affluo; ſi à mari remotior, piſcibus inhio; ſin mari propinquior, eas faſtidio. Nil novi eſt, quod non delectat; Nil ſumptuoſum minus, quod afficit. Si choreæ, aut theatrales ludi me teneant, eò recurro, quò confertiſſimi cætus confluunt; nec ibi qui minimum agunt, nec qui ſpectant, me abſente, aliquid præſtare valent. In hiſce enim publicis conſortiis, quibus vanitas maximè arriſit, ſemper præſens eſſe deſidero: nec quiſquam eſt, qui deſideriis meis minùs ſatisfacere poſtulat; cujus gratiori aſpectu omnia jucunda fiunt & lætantia.

Con.

Con. Hînc colligo, *Peccatum* semper in operibus inventionis esse versatum.

Pecc. Apprimè colligis; *Peccatum* enim semper prægnans, aliud ex alio gignit, ne amatoribus suis fastidium pariat.

Con. Imò *Peccatum* securiores, securitas segniores facit.

Pecc. Quid si? Hoc Ieniori somno meos dum mulceo; eos mihi devinctiores reddo. Vmbræ meæ sunt, & me sequentur; Milites mei sunt, & mihi obsequentur: Malus est Miles qui Imperatorem gemens sequitur. Tantoperè enim me amant, ut tanquam boni cives pro libertate mea vindicanda vitam libentissimè amissuri sunt. Nec gravem eum esse laborē sentiunt, quem sustinent, modò mihi inserviant, aut minimum obsequium præstant. Qui amant, aut non laborant, aut ipsum amant laborem.

Con. Nihil verò facilius quàm talis amor putrescet; cum omnia blandiora ea promissa tua sicut nives ante Solem, ad nihilum defluent; delectanti imò animæ per-

pernitiem adferent.

Pec. Num pollicita mea, polſentia unicè cogitas?

Con. Cogito quidem; Eos premunt & perimunt, qui illis credunt. Hoc enim expertum habent, qui te norunt, quod, nihil infelicius felicitate Peccatorum; quod, nulla adverſitas, ubi nulla iniquitas.

Pecc. Sed oſtende mihi unum de mille, qui ſeveriori huic opinioni tuæ acquieſcet.

Con. Major eorum eſt dementia, & everſio certa.

Pec. Sed quis iſta cogitat? Preſentibus frui placet, & ſemper placuit; futura caveat, qui timet. Satius eſt unam aviculam habere in manu, quàm duas in ſylva. Incerta ſunt quæ futura ſunt, igitur negliguntur; Præſentia oculis propoſita ſunt, igitur appetuntur.

Con. Hinc delirant homines! Hinc voluptates fiunt *Syrencs!* Sin verò adverterent, hanc vitam perpetuam eſſe pœnitentiam; quia omnia in hac ætate juveneſcunt vitia. Deinde, quid tibi ſerviendo

viendo sunt amissuri, quid te spernendo sunt adepturi! Quàm breve momentum est quod delectat, æternum quod cruciat! Quàm brevi momento temporis amittenda est spes salutis! Quàm levi solatio perpetuus incurrendus est cruciatus! Vbi, "si omnes
Ambros. "homines nati ab *Adam* usq; ad
"hodiernum diem, & omnes bo-
"ni prædicatores essent, & omnes
"de minutissima pœna inferni
"prædicarent, illi omnes illam
"minutissimam pœnam propala-
Greg. "re non possent. Nec suspicari
"poterit, quid ibi cruciatibus
Aug. "dedituni non fuerit. Quod
"nullus cruciatus pœnarum tem-
"poralium potest sempiterni
"iniquorum cruciatibus compe-
rari. Si ista & talia secum perpenderent, nihil te (O terrimum hominis prodigium) horribilius nil deformius cogitarent. Te, ut colubrem in via, evitarent; imò si scirent Deum illud ignoscitarum, hominem ignoturum adhuc propter *peccati* turpitudinem peccare dedignarentur.

Pec. Vnde istæ querelæ?

Con

Con. Ab incurſu *peccati*; cujus peſſimis blanditiis, homines in feras ſunt mutati; naturam exuentes propriam, & conditionem ſuſcipientes belluinam. Quis enim, ſi oculos in capite habeat, non apertè videat, quomodo periclitatur caſtitas in delitiis, humilitas in divitiis, pietas in negotio, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam ſeculo?

Pec. Iſta pericula me parùm tangunt.

Con. A te tamen ut proveniunt, me graviter deprimunt.

Pec. A te potius iſta animi ægritudo profecta eſt; tenerum nimis & nauſeantem ſtomachum habes; quæ aliis vix feſtucæ, tibi trabes apparent.

Con. Impubeſcentes ac intenereſcentes *Conſcientiæ* potius foveri & fulciri, quàm frangi & flagellari meruerunt.

Pec. Age! Si tanta mollities te teneat, unde eſt quod illecebris meis non indulſeris?

Con. Mentem quia triſtiorem reddunt; Iſta voluptati apertio, voluptatis eſt deſertio; Bona

Conſcientia hiſce ludibriis non eſt allicienda: Audiſtine de integræ *Conſcientiæ* pretio, de malæ ſupplicio?

Pec. Nec pretium, nec pœnam novi.

Con. Audies tandem; Magnæ divitiæ *bona Conſcientia*; appellatur igitur *juge convivium*. Nulla verò pœna gravior quàm *mala Conſcientia*; quia paci perpetuum dedit repudium. Sicut enim probis probitas ipſa eſt præmium, ita improbis nequitia ipſa eſt ſupplicium.

Pec. Iſta vitæ aſperitas te nunquam lætari permittet.

Con. Abſit, quod tanta ſit delectatio in vitiis, quanta in virtutibus. Præmium virtutis, ipſe eſt Deus, qui dedit ipſam: in quo gaudium meum repoſitum habeo; nec totius mundi voluptates, ſi arenulis maris eſſent numeroſiores, mentem ab hoc gaudio amovere poterint.

Pec. Maxima felicitas hujus vitæ (aliam enim neſcio) conſiſtit in amicis, ſociis, & conſortiis; theſauris colligendis, voluptatibus

bus fruendis, honoribus aucupandis: ſed iſta ab exercitatione virtutis diſjunctiſſima ſunt.

Con. Erras; Virtutes veræ opes ſunt, non divitiæ; divitiis enim ſervire, eſt Deum negare. Mundi ſervitium, licet Mundanis ſit ſolatium, Sanctis ſemper fuit grave ſupplicium. Hi ad Eremum venire, ſummam perfectionem eſſe duxerunt. Cellæ & Cæli habitationem eſſe cognatam; omnis ſeculi honorem, diaboli negotium ſentierunt. Hi honores mundi, tumores mundi; voluntatem Dei, voluptatem animæ ſummam judicârunt.

Pec. Quid mihi cum Sanctis? meæ non ſunt caulæ; eorum incremento, detrimentum meo infertur imperio. Ecce, quem video, quem tyrocimio meo initiatum habeo! *Homo* eſt; Sanctus non eſt; Et inde gaudeo. Nihil enim humanum, ſi vitia ſpectes, ab eo alienum eſſe puto. Intrat Homo.

Ho. O me viventium omnium miſerrimum! Diutiùs ſub ſilentio me continere nec volo, nec valeo. Siccine ſemper me perſequeris?

Pec. Imò potius me perſequeris.

Ho. Fateor,& erubeſco; notitia verùm *Peccati*, quia initium eſt ſalutis, me reviviſcentem ſentio.

Pec. Hoc mihi parùm arridet.

Ho. Fateor, inquam, ſi peccavi, ego peccavi, non fatum, non fortuna, non Diabolus. Adverſus me pronuntiabo, non adverſus Dominum. Si te, ô *conſcientia* mea,aut quemcunque alium peccati mei arguerem, canibus propriè aſſimilari poſſim, *Qui*, uti divinus *Plato* ait; *lapides jactos mordent: ipſos autem, qui læſerunt, non attingunt.* Nunc tandem lachrymantibus oculis ad me redeo,cui meipſum inimiciſſimum feci; nec ſolum rediturus, ſed piiſſimum propoſitum ſum facturus (& propoſito faveat Altiſſimus) me nunquam te (ô *peccatum*, humanæ ſalutis naufragium) dehinc admiſſurum; ſin verò, impetu facto ingrueris, nunquam regnabis.

Con. Propoſitis piè ſuſceptis ſemper

ſemper favebit Deus.

Ho. Quando etiam, à duabus partibus conſtare videor; *Animæ & Corporis*; Quarum prior, ſi minimo vulnere afficiatur, te tanget & anget, ô Syntereſis mea; novam agere vitam mecum inſtitui; quò refocilletur *Conſcientia*, renovetur anima, & tota interior lætetur familia. Quantum verò ad te attinet, ô *Caro* mea, quia tuum eſt attrahere *peccatum*, ebibere imò tanquam aquam; & qui peccatum peccato addit, funem nectit cum quo ligatur; Crucifigam te, ô delicatula *Philiſtæa*, nunquam quieſces, perferes quod horres. Sic tandem peccandi finem faciam, divinâ opitulante gratiâ, quâ ſubſiſtam.

Con. Optimè propoſuiſti; & propoſitis tuis ſemper affulgeat Deus.

Pec. Age; ſi me demiſeris, alios inveniam qui mihi hoſpitium libenter offerent. Quamdiu enim homines manent in mundo, tamdiu in eo me regnaturum eſſe ſpero.

Ho. Erga me ſpes te fallet, ſi votis

votis meus **Deus** faveat. Nunc intremus mi *conscientia*, & collætemur mutuò, cum *Peccatum* nobis tam invisum discessit a convivio.

COLL. 5.

Coll. 5.

Colloqvivm Dei & Animæ.

Deus.

Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni.

An. Quis me vocat? Quis me tot amatoriis titulis compellat?

De. Qui creando infudit, infundendo creavit, ille te invitat.

An. Creator meus!

De. Et amator tuus.

An. Verè te novi me intimè amasse, cum non pepercisti Filio tuo, ut me liberares ab inferno.

De. Et Filium, & unicum habui, & eum dedi, ne tu perires quam feci.

An. Quid ergo retribuam?

De. Vicem redde per amorem.

An. Quis tam durus est, quem non emolliat amor Dei?

De. Qui non recognoscit beneficia Dei.

An. Quid habui, quod non accepi?

De. Redde gratias, ut plura accipias.

An. Ascendet oratio, ut descendat gratia. Tuum sit totum id quod vivo, & tota totam me tibi offero.

De. Teipsam offers, sed ubinam fructus quos profers?

An. Si dignaberis in agro tuo, corde meo, serere bonum semen, necesse est ut manu pietatis tuæ spinas prius evellas vitiorum meorum.

De. An manui meæ te liberè submittes?

An. Hîc ure, hîc seca, hîc percute, modò parces in futuro; reficiat qui fecit, corrigat qui regit.

De. Adverte, & converteris; sequere, & assequeris.

An. Nemo me erit attentior; Loquere Domine, Ancilla audit.

De.

De. Primùm, oportet te scire *Unde es? Qualis es?* & *quid in futuro eris.* Si mihi placeas, a quo primùm eras, nunc es, & in futuro beata eris. Eras quod non es, & tibi dedi quod es; Te præposui aliis, ut mihi præ aliis inservias. Superiora ad solatium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium dedi.

An. Quid ad me, quid mihi des, modò te mihi des?

De. Teipsam tibi dedi, cum nihil eras; Meipsum tibi dedi, cum nihilo pejor eras; & meipsum tibi servavi, quo beata eris.

An. ô Mysterium immensum! ô beneficium latè extensum!

De. In quo mysterio tria præcipuè sunt observanda; Misericordia Dei diligentis; meritum Christi patientis; gratia Spiritus Sancti per Evangelium vocantis. Misericordia mea te dilexit, quando te creavit, à cæteris creaturis discrevit; Meritum Christi mei te promeruit, cum miseria tua eum ad terras traxit, ubi motus misericordiâ tot indigna pro te tulit; Gratia Spiritus Sancti te vocavit

vocavit quando docuit; liberavit quando de tot periculis, terræ & mari, animæ & corpori imminentibus eripuit.

An. O si in lachrymas resoluta esses Anima, quo ista dignius agnoscas beneficia!

De. Audisti *quid eras*; & nunc perspectum tibi faciam *qualis es*. Anima est imago mentis: mens imago Dei: Deus menti præest, mens animæ, anima corpori. Ista perelegantèr quidam protulit; sed dignitas tua quædam adhuc altiora privilegia, (Charismata verè regia) tibi attulit. Insignita es Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata Spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis. Primum igitur, si quisquam a te quæreret, *Cujus est imago hæc, & inscriptio?* verè dicas, *supremi Cæsaris*. Quomodo obscurata? ærugine peccati. Quomodo restaurata? sanguine Christi. Quomodo desponsata? annulo fidei. Quomodo dotata? radio Spiritus Sancti. Quomodo ornata? virtutum flosculis. Quibuscum deputata? cum Angelis.

gelis. O beata conditio, modo in terris tua non sit consolatio! Quis enim, ni proditor fuerit, imaginem tam regalem delere audet? *Cæsaris* est. Quis animam tanto redemptam pretio, venalem peccato exhibere ferret? Pretium sanguinis est. Quis tam amabilem sponsam cœlesti regi desponsatam violare quæret? Sponsa mea est. Quis internam eam lucem sibi cælitùs exhibitam offuscare cupiet? Lux Spiritus Sancti est. Quis amæniores eos virtutum flores, pretiosos vitæ odores inquinare volet? Ornatus *animæ* sunt. Quis beatiores eos socios, quorum societas promissa est Sanctis, repudiare valet? Cohortes Angelicæ sunt. Audies igitur *quid eris?* Angelica in cælis, si Sancta in terris. Semper igitur ambula, semper profice; Noli in via Dei deficere, noli retroire. In via Dei stare, retrogradi est. Nam nullum medium potest esse; vel oportet te proficere vel deficere. In quo progressu, optimum est ita proficere, ut cum humilitate proficias; profectus non agnoscas,

scas, ne superbiâ extollaris. Quicquid enim agitur perditur, si per humilitatem non custoditur: Nam qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. Rectè igitur definitur humilitas, *Regina virtutum, mors vitiorum, speculum virginum, hospitium Sanctæ Trinitatis.* Nec egena poterit esse *anima*, cui semel illuxit humilitas vera. Voluntatem enim propriam frangere novit, quod divitibus rarius contigit. Vnde est, quod Paupertas mentibus bonis esse solet custos humilitatis: In qua fruenda, multò sunt ditiores quam totius orbis imperatores.

An. Bone Domine, unde superbirem? in plurimis meipsam invenio deficientem; in nullis sufficientem.

Deus. Bono esto animo; optimè semper proficit, qui in opinione sua maximè deficit. Quomodo enim in me proficeres, si jam tibi sufficeres? Gratia mea, quæ tibi sufficiet, balsamum purissimum est: & ideo purum & solidum vas requirit. Emundetur cordis tui vasculum

vasculum, ut infundatur gratiæ meæ balsamum. Sed ad altiora te ducam, manum mitte & accipiam. An agnoscis me ubique præsentem?

An. Quid minus? Te in omni loco sine loco, ubique præsentem sine situ & motu, semper agnoscam.

Deus. Et omnia videntem?

An. Humillimè.

Ἕκει θεὸς ἐκδίκον ὄμμα.

Cernit Deus omnia vindex.

Si in penetralibus terræ me absconderem, latebras exploraret meas lumen perspicacissimum: Et si in solitudine ædificarem, nullum tibi præclusum esset latibulum.

Deus. Et ea judicantem?

An. Maximè; Qui judicatus est injustè, judicabit totum orbem in æquitate.

Deus. Si Deum præsentem & omnia videntem & judicantem crederes, credo quod nunquam aut rarò peccares.

An. Omnes fragiles sumus, nec quenquam me fragiliorem sentio.

Deus

Deus. Quò te fragiliorem sentis, eò indies fortior evades. Sed ausculta: Visne digna haberi hospitio meo?

An. Beata est *anima*, quę tanti hospitis potest esse hospita; Nullum enim eæ deërit præsidium, quæ te merebitur hospitem.

Deus. Mereberis certè, si me sequaris.

An. Ad crucem sequar, modò te fruar.

Deus. Auctor pietatis in cruce pendens, Testamentum condidit, singulis opera pietatis distribuens; Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, Patri Spiritum, Virgini paranymphum, Latroni Paradisum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus crucem.

An. O Testamentum charitate plenum! Vnde colligo omnem salutem humanam in morte Christi esse positam.

Deus. Inde etiam colligas tuam dignitatem. Sublime est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Custodiæ igitur tuæ, omnem diligentiam adhibe;

adhibe; NOVISSIMA memorare; & hanc sententiam valde salutarem semper impressam habe: Sive dormio, sive vigilo, sive aliquid aliud facio, semper illa vox NOVISSIMÆ TVBÆ sonat in auribus meis; *Surgite mortui, & venite ad judicium.*

An. O vox clara, pravis amara, Sanctis grata!

Deus. Sed, proh dolor, vox ista non citiùs emittitur, quàm amittitur; unde etiam pretiosa *animæ* dignitas prosternitur. Cadit *Asina*, & est qui sublevat; perit *Anima*, & non est qui recogitat. Mortem *corporis* omnis homo timet, mortem *animæ* pauci. Vnde autem ista animarum strages? Quia illud dimittitur, quo spreto nulla *anima* redimitur. Nil pretiosius *tempore*, & heu nil hodie eo vilius invenitur: transeunt dies salutis, & nemo cogitat. De hoc momento pendet æternitas. Dum tempus igitur habes, operare bonum ad omnes. Corrige teipsam & spera indulgentiam: Nulla est culpa quæ non habeat veniam.

An.

An. Multa autem ſunt in mundo, quibus adhærendo, me faciunt immundum.

Deus. Facilè contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum.

An. Sed nunquam moriar.

Deus. Mundo morieris, ut mecum vivas. Mori autem Mundo, eſt mundum relinquere, non relinqui à mundo. Si vis enim agere pœnitentiam, cum jam peccare non potes; & relinquere mundum, cum ulterius frui non vales: peccata te dimiſerunt, non tu illa; mundana te reliquerunt, non tu ea. Non cavere periculum, dum poſſes, potius eſt tentare me, quam in me ſperare. Sperando igitur timebis, timendo cavebis, cavendo tuta eris. Feres tentationes, ut ſuſcipias conſolationes. Non eſt victoria, ubi non fuit difficilis pugna.

An. Relinquam omnia, perferam omnia, ut te poſſideam qui mihi es omnia.

Deus. Relinque te, & invenies me. Chriſtiani præludium eſt ſui repudium. Meus non erit, qui voluntatem

luntatem suam meæ præposuit. Hîc nemo potest stare, nisi ex toto corde, se voluerit propter me humiliari. Habes in te ex me quo admonearis semper, aut mecum stare, aut ad me redire, si mota tuis affectibus imò defectibus fueris. Te da, & habebis me. Ama me, & amaberis à me.

Anim. Verè te non amat, qui tecum aliquid amat quod propter te non amat. Amor transanimat in rem amatam; me totum renuncio, in meipso nihil habebo, Tuus sum totus & semper ero. Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio. Mori autem non queo, inter brachia ejus dum dormio.

Deus. Optimè tecum est; hîc requiesce; Crux Christi, Corona Christiani, Perge in amore mei, quem si intimè ames, mille mortes citius patieris quàm me offendes; Profice in timore mei, quem si verè timeas, domui tuæ præcipies, omnia prudenter disponea, in me dulciter requiescès. Ne timeas, quia amas. Non timeat *anima* quę amat, paveat quæ non amat.

amat. Amor enim foris mittit timorem, minuit dolorem, parit honorem, & conſortem facit Sanctorum.

Anim. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, nulla unquam mutatione violandam. Veni Domine; perfice quod cæpiſti: & de me fiat voluntas tua, quam feciſti.

Deus. Perge; & hoc pio propoſito, aliorum exemplo, vive pauliſper in terris, ut perenni vita fruaris in cœlis.

Coll. 6.

Colloquium
Animæ & Civitatis Dei.

Anim.

CIvitas sancta Dei, charissima Sponsa Christi; Quæ sunt ista quæ video? Quæ Cantica, quę Organa quę audio? Quæ cantilenæ, quæ melodiæ quas ipsa profero? Quæ mella, quæ Manna gustui delectabilia sapio? Quæ gaudia sentio? Quę præmia possideo? Quam gloriosa dicta sunt de te *Civitas Dei?* Et meritò dicta sunt de te; Sicut enim lætantium omnium habitatio est in te. Hîc; ubi difficilius est dicere quid non est, quàm quid est; licet omnium linguarum transeat

tranſeat facundiam, dicere qui eſt?

Civit. Nunc expertum habet beata *Anima*, meliorem eſſe diem unam in domo Domini ſuper mil lia.

Anim. Verè invenio; unum di em, diem ſempiternum, cui nox cedit heſternus, quem non urget craſtinus. Vbi non eſt aliqui quod non veniendo nondum ſit, & veniendo jam non ſit. Tanta eſt jucunditas lucis æternæ, ut ſi etiam non liceret ampliùs in ea manere quàm unius diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni tranſactæ vitæ, pleni delitiis, & etiam cum affluentia bonorum temporalium rectò meritóque contemnerentur. Mille enim anni ante oculos tuos, tanquam dies heſternus qui præteriit.

Aug. in *Pſal.* 76.

Civit. Interea, de eo labili *Anno*, quid exiſtimas? Superiores dies anni illius jam tranſierunt, nec tenentur: futuri autem nondum venerunt. De eo fugaci *Tempore* quid cogitas? quicquid de illo præteritum eſt, jam non eſt: quicquid de illo futurum eſt, non-

nondum est. De illa *Die* quid sentis? Horæ matutinæ transierunt, horæ futuræ nondum venerunt. De ista *Hora* quid tenes? Momenta quædam jam transierunt; quæ futura sunt, nondum venerūt. In hac terra desiderabili nullius temporis languorem, nullum perferes laborem, nullum senties dolorem, summum accipies honorem, mutuum concipies amorem. Videbis cognoscendo, amabis diligendo, laudabis possidendo. Videbis Deum ad voluntatem, habebis ad voluptatem, frueris ad jucunditatem. In æternitate vigebis, in veritate clarebis, in claritate fulgebis, in bonitate gaudebis; sic habebis permanendi æternitatem, cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem. Quænam enim est hujus Sanctæ *Civitatis* felicitas, cujus Angeli Cives sunt, Deus Pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus Sanctus charitas?

Anima. O beata *Civitas*! O Sanctorum felix societas!

Civit. Et de hoc felici consortio tuo non minùs lætamur quàm de

de noſtro gaudio. Ibi enim es ſi-
ta, ubi una omnium eſt lætitia.
Nemo hîc invidet, dum bonum
alterius videt. Vnuſquiſque no-
ſtrûm in tantum gaudet de alte-
rius merito, ſicut de ſuo proprio.

Anim. O me felicem, tot ele-
ctis ſociis, tot dilectis Civibus aſ-
ſociari! Perquam dulce mihi fuit
de hac *Civitate* in terris meditari;
quanto mihi dulcius erit in ea
delectari, ab ea poſſideri, eumq;
contemplari qui Sponſus eſt ani-
mæ, anima animæ, princeps
gloriæ?

Civit. Sed præbe manum, ſpe-
cioſa Soror, deducemus te ad ha-
bitacula gemmis refulgentia; in
cellaria optimis vinis diffluentia;
in refectoria ſacris delitiis redun-
dantia: ubi nec deſiderium pœ-
nam generat, nec ſatietas faſtidi-
um parit: ubi nec faſtidiet qui
manducat, nec deficiet quod
manducabitur: ubi replebitur
mens tua torrente divinæ volup-
tatis: inebriabitur cor tuum ſo-
bria ebrietate divini amoris. Hîc
fontes ſunt vivi, valles amænæ,
hortorum delitiæ. Ibi cumulus

fe-

felicitatis, superveniens gloria; thalamus festivitatis, superabundans lætitia. Ab hoc monte aromatum, Specula cœlestium, videbis gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem. In hoc portu pacis, Sinu Securitatis, est requies à laboribus, pax ab hostibus, amænitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas & dulcedo de Dei visione.

Anim. Et quis non illic habitare vehementer desideret? Et propter pacem, & propter amænitatem, & propter æternitatem, & propter Dei visionem? Cognoscendo Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam, & habendo illius Summæ Trinitatis notitiam.

Civit. Patebunt arcana divinitatis, videbitur & amabitur Deus.

An. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo!

Civit. Qui est lux illuminatorum, requies exercitationum, patria redeuntium vita, viventium, &

corona vincentium.

Transit regio mortuorum, venit regio vivorum.

An. O quanta est misericordia Dei! Quam ineffabilis mutatio dexteræ Excelsi! Heri eram in tenebris, hodie in splendore lucis: Heri in ore Leonis, hodie in manu Mediatoris: Heri in porta Inferni, hodie in deliciis Paradisi: Heri in cæu seculi, hodie in sinu Cæli. O si minimum cœlestium gaudiorum apprimè scirent, qui in terris vivunt! in sacris unicè operam navarent; ne minimum momentum, qui redimi non valet, inutiliter transirent; vitæ non scholæ Theologi discerent, vivere melius quam disputare certarent; summam eorum Philosophiam scire Christum Iesum, & hunc crucifixum æstimarent; oratores nō tam politè quam ritè, limatè, quam cordatè dicere curarent: Non tam rhetoricis polleren floribus quàm religiosis operibus. Negotiatores in mundo, fer magis quàm inferre injuriam el gerent; optimam conscientiam opulentissimum lucrum cogita rent. Func bellua illa fera & in

toleranda,

toleranda, nempe Avaritia, non tantoperè sæviret, sed opportunè tempori, sicut tempus gratiæ, cederet. Imò, omnes omnis conditionis homines tantâ refulgerent vitæ sanctimoniâ, ut nunquam excideret ab eorum memoria: *Ite maledicti in ignem æternum. Venite benedicti, percipite regnum.* O quid potest lamentabilius & terribilius cogitari, quàm ITE? & quid delectabilius exprimi, quàm VENITE? Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius unâ, & nihil jucundius alterâ poterit audiri. Tunc de die finali, utì de die dissolutionis; de die judiciali, utì de die reddendæ rationis; de inferno, loco horroris, lacu intolerabilis doloris; de cœlo, loco honoris, regno incomparabilis amoris intentiùs perpenderent. Residuum temporis cœlo sacrarent; residuum lampadis scrinio dicarent. Nulla dies sine linea; nulla linea sine norma. Minimam arenulam quæ per clepsydram currit, unâ saltim lachrymulâ repensarent. Omnia iis aliena esse ducerent, imò tempus

præſens, cum nihil de eo præter momentum habent. Auroram diei limen, veſperam diei examen facerent. Tunc manè corpora eorum ſuſcitarentur, inertes ſomni excuterentur, lumina accenderentur, oratoria aſcenderentur, & primitiæ Deo offerrentur. Tunc morti obviam irent, ſuavitèr invitarent, ac blanditiis hujus fallacis vitę penitus defuncti, amittendo vitam viverent, moriendo mortem perderent, perdendo vitam invenirent. Mortem, inquam, ærumnarum requiem non cruciatum eſſe dicerent. Terreſtribus, imò, ſpretis, cœleſtibus fretis, in portum perpetuæ pacis attingerent. Hoc enim mundani homines maximè expertum habent, dum lachrymabilem ſed inconſolabilem hanc vocem emittunt; *O mors, quàm amara eſt memoria tui, homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis!* Quibuſcunque mundus ſit domicilium, à Cœlo ſeculum infert exilium. Duas enim civitates faciunt duo amores: *Hieruſalem* facit amor Dei; *Babyloniam* facit amor ſeculi.

Hieru-

Hieruſalem interpretatur viſio pacis; *Babylon* verò ſedes confuſionis. Inurbem verò pacis nunquam intrabunt, qui pacem non diligunt: ô ſi iſta cogitarent qui in terris vivunt, hîc ſemper viverent, & nunquam perirent!

Civ. Verè te digna meditaris. Si iſta enim diligenter ſecum diſcuterent Habitantes terræ, Mundo dehinc eſſent alieni, Deo proximi & familiares amici. Sed de bona voluntate Domini noſtrum eſt lætari; in peccatorum converſione gaudere; terreſtrium ſanctorum adventum deſiderare; de quibus expectamus *Civitatis* noſtræ ruinas reſtaurari. Interim, veni dilecta *anima*, electa ſocia, in te beata, beatis grata! novis canticis, mutuis gaudiis, amplexibus intimis, ingrediamur locum Tabernaculi admirabilis. Nunc tui erimus ſocii, qui tui fuerimus miniſtri. Inter lilia agrorum, millia angelorum, nunc refulgeas; inter agnellos Dei recumbas: Veni, & lætare perenni fruendo pace, cœleſti luce, Dei præſentia, æternâ patriâ!

An. O dulcedo melliflua! dulcedo miranda! quàm dulcis es in meditatione, sed dulcior in oratione, duleissima in contemplatione, sed superdulcissima in beatitudine? Non est in toto me comprehendere te; sufficit mihi possidere te, lætari in te, laudare eum qui regit te, & constituerit me in te.

Surge qui dormis, & exurge a mortuis: & illuminabit te Christus. Ephes. 4 14.

Omne tempus nobis impensum, à nobis exigetur qualiter sit expensum. Bern.

Fratres

FRATRES mei, ſi putatis aliquid tale habituros nos in illa patria, ad quam nos exhortatur *Tuba cœleſtis*, & propter ea vos à præſentibus abſtinetis, ut illic talia copioſus recipiatis, ſic eſtis quomodo illi qui jejunant propter epulas majores, & continent ſe pro majori incontinentia. *Aug. in Pſal. 36.*

FINIS.

QUamplurimos fortasse errores in hoc MANUALI MANIPULO pietatis (CHRISTIANE LECTOR) passim invenies, qui ex AUTHORIS absentia, seu AUTOGRAPHI obscuritate in publicos typos surrepserunt. Quos ß candidè corrigas, Authorem tibi devinctissimum reddes; eumque tantæ Provinciæ molem subeuntem, superantem imò, accumulatissimè compensabis.